

tendit, etiamsi multum processit, opus est tamen aliqua fortunae indulgentia, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exsolvit, et omne vinculum mortale. Quid ergo interest? Quod alii alligati sunt, alii adstricti, alii districti quoque. Hic qui ad superiora progressus est, et se altius extulit, laxam catenam trahit; nondum liber, jam tamen pro libero.

XVII. Si quis itaque istis qui philosophiam conlantrant, quod solent, dixerit: «Quare ergo tu fortius loqueris, quam vivis? Quare superiori verba summittis, et pecuniam necessarium tibi instrumentum existimas, et damno moveris, et lacrimas, audita conjugis aut amici morte, demittis, et respicias famam, et malignis sermonibus tangeris? Quare cultius rus tibi est, quam naturalis usus desiderat? cur non ad praescriptum tuum coenas? cur tibi nitidior supellex est? cur apud te vinum aetate tua vetustius bibitur? cur autem domus disponitur? cur arbores praeter umbram nihil daturae conseruntur? Quare uxor tua locupletis domus censem auribus gerit? quare paedagogium pretiosa veste succingitur? quare ars est apud te, ministrare, (nec temere, et ut libet, collocatur argentum, sed perite servatur), et est aliquis scindendi obsonii magister? Adjice, si vis, cur trans mare possides? cur plura, quam nosti? turpiter aut tam negligens es, ut non noveris pauculos servos; aut tam luxuriosus, ut plures habeas, quam quorum notitiae memoria sufficiat?» Adjuvabo postmodum; convicia, et plura mihi, quam putas, objiciam: nunc hoc respondebo tibi. Non sum sapiens, et, ut malevolentiam tuam pascam, nec ero. Exigo itaque a me, non ut optimis par sim, sed ut malis melior. Hoc mihi satis est, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, et errores meos objurgare. Non perveni ad sanitatem, ne perveniam quidem: delinimenta magis quam remedia podagrae meae compono, contentus si rarius accedit, et si minus verminatur. Vestris quidem pedibus comparatus, debilis cursor sum.